

pionem, tum in sermonibus Concilii Nicæni, et aliis locis, ubi apertissime dicit Spiritum sanctum esse a Filio, et sufficit nobis id quod in suo symbolo expressissime ponit : « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec genitus, sed procedens, » et præter Cyrillum Alexandrinum, qui expresse in hoc puncto restitit Theodoro in defensione noni anathematismi, et in epistola decima et aliis locis supra allegatis, præter istos inquam qui inter sanctos patres præsertim ex Græcis duces primi sunt, multi alii idem docent, ut Nazianzenus oratione xxiv, ubi inquit : « Filium accepisse a Patre omnia quæ Pater habet, excepta sola causalitate sua, » id est, processione sua, et Basilius lib. iii contra Eunomium, dicit : « Spiritum sanctum esse dignitate secundum a Filio, cum ab ipso esse habeat, imo et pendeat, » ubi ly pendeat idem est quod procedat secundum originem. Et Chrysostonus homil. i et ii de symbolo, tomo quinto, item Epiphanius in anchorato, et de hæresibus, hæresi lxix, et Cyrillus Jerosolymitanus catechesi xvi. Omitto patres Latinos, qui hoc sine dubio perpetuo docent, nec de illis dubitatum est, pluresque in disputationibus Concilii Florentini citati sunt in fine sessionis xxiv, ut Leo papa, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus; sed quia non ita cogit eorum auctoritas Græcos, qui in hoc fatentur se contra Latinos sentire, ideo non facimus vim nisi in auctoritate Græcorum patrum ad ipsos revincendos. Conducit tamen auctoritas Latinorum patrum ad intelligendum fuisse hoc quasi perpetuam Ecclesiæ traditionem, ex qua cum locis Scripturæ supra adjunctis, veritas hæc definita est ab Ecclesia. Videatur etiam de his Bellarminus tomo primo, libro secundo, de Chris-

to, a capite vigesimo, usque ad finem.

XIV. Quod attinet ad rationes theologicas diximus supra, præcipuas reduxisse D. Thomam ad tres in hac quæstione xxxvi, art. ii.

Prima ducitur ab inconvenienti, quod destruit totum mysterium Trinitatis, videlicet quia alias non distingueretur Spiritus a Filio, si ab illo non procederet; et sic non essent tres Personæ distinctæ in Deo. Quæ consequentia, quia multis difficilis visa est, postea expendenda latius a nobis est.

Secunda et tertia ratio ducitur ex positiva congruentia, et majori conformitate ad ea quæ naturalis ordo rerum videtur exigere. Unde D. Thomas adducens has duas rationes, non adduxit eas tamquam efficaciter probativas, sed quia huic consonat ratio processionis utriusque scilicet Filii et Spiritus sancti. Et bene hoc advertit D. Thomas, quia in rebus fidei probandis nulla ratio naturalis, nec discursus sufficiens est, et solum possunt congruentes rationes adaptari.

Secunda ergo ratio D. Thomæ sic ab ipso proponitur : Filius procedit per intellectum ut Verbum, et conceptus, et Spiritus sanctus ut amor, sed necesse est quod amor procedat a Verbo, si quidem non amamus aliquid, nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus : ergo Spiritus sanctus procedit a Verbo, seu a Filio.

Tertia ratio est : Si Spiritus sanctus procederet a solo Patre, et non mediante Filio, procederent a Patre duæ illæ Personæ sine aliquo ordine inter se : sed ab uno principio non procedunt plura sine ordine inter se, nisi sint materialiter distincta, sicut unus artifex producit multos cultellos nullum ordinem inter se habentes, et unus pater plures filios, qui tantum materialiter dis-

tinguuntur. Ubi autem non est materialis distinctio tantum, semper invenitur ordo inter res ipsas procedentes, ut una procedat ex alia, et non omnia æque ex uno principio. Non potest autem inter istas duas personas reperiri sola materialis distinctio, ut de se patet, cum careant omni materia, et potentialitate : ergo conveniens est inveniri ordinem unius ad aliam. Non est autem alius ordo quam ejus qui ab alio. Ergo oportet dicere quod inter istas duas Personas datur ordo processionis, ut una sit ab alia; non Filius a Spiritu sancto : ergo Spiritus sanctus a Filio.

XV. Istæ rationes adductæ sunt a D. Thoma tamquam manifestantes principia secundum quæ potest recte intelligi id quod fides catholica tradit de hac processione Spiritus sancti, nempe quod sit a Filio, quia amor est a Verbo, et non sit a solo Patre, quia est tertia Persona, et tam ipse, quam Filius non debent æque immediate ab uno principio procedere sine aliquo ordine inter se, quia non sola materiali distinctione distinguuntur : inter ea enim quæ materialiter tantum distinguuntur, ordo non requiritur, sicut inter ea quæ formaliter, et præsertim relative.

Cæterum contra priorem rationem potest objici, et quantum ad antecedens, et quantum ad consequentiam. In antecedenti non est certa illa propositio, quod amor procedit a conceptione, seu Verbo, tum quia non procedit nisi a re ipsa apprehensa, et ab ipso fine : apprehensio vero solum se habet ut conditio ad finalizandum, et movendum voluntatem; tum quia ad hanc apprehensionem sufficit notitia ipsa, et cognitio, nec requiritur verbum, seu conceptus, ut patet in visione beatifica, in qua non producitur verbum, et a visione spiratur amor, tum de-

nique, quia in Deo ad apprehensionem rei volendæ datur essentialis cognitio, quæ sufficit ad amorem, et ut verificetur quod amor est ex influentia cognitionis; sed unde inferitur : ergo est a verbo notionali. Quoad consequentiam vero fit instantia, quia vel inferitur quod Verbum producit Spiritum sanctum quasi elicitive, et vitaliter, et ut principium quod subsistens, vel ut finis solum apprehensive movens, et finaliter, et ut principium quo apprehendendi. Hoc secundum non est ad rem, quia intentum non est probare nisi quod procedat Spiritus sanctus a Filio ut a Persona producente, sicut a Patre, et per virtutem spirativam, quæ etiam est in Patre, non vero ut a fine apprehenso, seu a conditione finis finalizantis, quæ est cognitio.

XVI. Si dicatur primum, omnino illa consequentia est nulla, quia ex conceptione rei intellectæ, quæ non influit elicitive, aut effective in amorem, nec ut principium quod subsistens, infert quod conceptio divina, quæ est Filius, influit isto modo, et spirat Spiritum sanctum quod est a disparatis procedere : nam ad influendum hoc modo elicitive, requiritur voluntas, et virtus spirativa, ex illa autem ratione, qua dicitur a conceptione dependere amorem, non inferitur quod tali modo pendeat, id est, elicitive, nec inferitur : ergo illa conceptio habet voluntatem qua spiret, quamdiu autem non probatur Verbum habere voluntatem, non probatur spirare Spiritum sanctum.

Contra posteriorem vero rationem potest objici, quia non repugnat plura procedere a Deo sine ordine inter se, sicut plures mundi, aut si omnia immediate per se produceret : similiter possunt plures res immateriales immediate, et sine ordine inter se produci, ut si Deus produ-

ceret plures Gabrieles, aut si producantur plures intellectiones ejusdem Gabrielis, quæ inter se ordinem non habent, et materiali distinctione non distinguuntur cum immaterialia sint.

XVII. Has objectiones fere omnes proponit in præsentī Cajetanus qu. xxxvi, art. II, et bene resolvit. Unde ad ea quæ objiciuntur contra antecedens assumptum a D. Thoma, negamus antecedens.

Ad primam probationem dicitur, quod amor procedit a re apprehensa juxta modum apprehendendi, non quod ab apprehensione habeat appetibilitatem, et vim ipsam motivam, sed conditionem modumque movendi, seu applicationem, aut potius esse, quo res ipsa vestitur ut tangat voluntatem. Et hoc sufficit ut dicatur amor dependens a cognitione, ut a causante per modum motionis allicientis, nec distinguimus ibi apprehensionem a re apprehensa, sed totum illud, scilicet res sub apprehensione movet ad amorem. Sed est speciale hoc in Deo, quia ibi verbum, seu conceptus, et res apprehensa est unum et idem, ac per hoc non differt quod moveat conceptus, vel quod moveat res apprehensa: idem enim est: et sic bene assumit D. Thomas quod amor est a conceptione mentis, quia non amamus nisi secundum quod concipimus: et cum Deus concipiat seipsum, suumque conceptum ut objectum, fit ut a suo conceptu seu Verbo petat oriri amor, non solum ut a conditione requisita, sed ut a formali ratione motiva.

Ad secundam probationem dicitur, nullam cognitionem dari sine verbo, vel producto vel unito, aut concomitanti cognitionem. Et in visione beatifica eo modo movet verbum unitum in ratione conceptus, seu speciei expressæ, quo movet ipsa essentia cognita, et in verbo seu

conceptu ipso intellecta. Præterquam quod responsio etiam est in promptu quod cognitio, seu notitia cum conceptu, seu verbo movet voluntatem ubi conceptus fuerit: ubi autem conceptus non est, per accidens non movet conceptus, sed sola cognitio, seu res apprehensa per cognitionem, et non expressa per verbum: ubi autem datur conceptus exprimens, non est quod excludatur a ratione movendi, sicut res ipsa expressa, et repræsentata in conceptu.

Ad tertiam probationem dicitur, quod in Deo datur essentialis cognitio ad amorem essentialem, sed non est cur notionalis cognitio excludatur ab amore notionali, non ex indigentia, sed ex abundantia: sufficit enim rationi D. Thomæ quod per se amor a cognitione sit: sic enim etiam cognitio notionalis habebit spirare amorem, quia non est cur excludatur a generali conditione cognitionis, quæ per se habet in amorem influere: ergo et cognitio notionalis, licet non ex necessitate, sed ex fecunditate.

XVIII. Ad objectiones contra consequentiam D. Thomæ respondetur D. Thomam explicite non inferre nisi originem seu ordinem amoris ad cognitionem, et conceptionem, modum vero procedendi non explicasse, sed reliquisse inferendum juxta exigentiam ipsius conceptionis, et verbi, nam si verbum solum se habeat ut forma, et ut principium quo exprimendi, et repræsentandi objectum amandum, solum influet in voluntatem specificative, et objective, seu ratione objecti repræsentati alliciendo voluntatem ad amorem, non vero eliciendo per voluntatem ipsum amorem, et hoc solum petit verbum ex genere, et linea intelligibili, quatenus præcise sistit in intellectu, ut forma ejus, nec ultra hoc amplius habet partici-

pando naturam, et substantiam atque proprietates ipsius intelligentis; sicut ex hac præcisa ratione non habet Verbum intelligere active, sed intelligi, et tamen ex eo quod est in actu puro eandem naturam habens cum suo producente, non solum passive dicit intelligi, sed etiam active dicit intelligere. Et ob eandem rationem Verbum secundum se solum habet dirigere ad executionem, et productionem effectus ad extra, non vero effective producere ut principium quod; si vero consideretur Verbum ut perfectissimum, et crescens usque ad hoc quod est esse personam subsistentem in natura intellectuali, tale Verbum etiam effective habebit omnipotentiam, et producet effective creaturas. Sic ergo Verbum ex præciso, et analogo conceptu verbi, prout solum dicit formam exprimentem, et expressam rei intellectæ, non dicit nisi manifestationem objecti amabilis, et influentiam formalem, et quasi specificativam, aut finalem in amorem: ac vero verbum non præcise exprimens objectum intelligentis, sed ipsum objectum consubstantialiter existens, et in eo subsistens, etiam personaliter, et elicitive habet influere in amorem, ratione talis naturæ quam habet. Et quia verbum sic deputari, et ad talem perfectionem ascendere ut consubstantialiter sit objectum intelligibile, et intellectum, et ipsa natura intelligentis non est per accidens in Verbo divino, sed per se intra lineam intelligibilem ut deputatam ab omni imperfectione; ideo Verbum spirare amorem non solum specificative, et formaliter, sed etiam elicitive, et personaliter, non est extraneum a ratione formali verbi, et ideo optime S. Thomas ex eo quod absolute amor pendet a conceptione mentis intulit, quod a verbo, seu conceptione mentis personali, et

communicante in eadem natura cum intelligente producitur spirative, et elicitive amor, quia habendo naturam, habet voluntatem, et non solum intelligibiliter movet voluntatem.

XIX. Ad objectionem contra posteriorem rationem respondetur, quod ratio D. Thomæ est congruentissima, et juxta exigentiam producendi res ordinate. Quod intelligitur cum duabus conditionibus; altera est, quod res aliquæ procedant ut contentæ sub aliquo ordine, v. g. ut pertinentes aut conducentes ad aliquem unum finem, vel ad unum aliquid totum construendum vel perficiendum: altera est, quod non sit materialiter tantum distincta, id est, individualiter, ita quod ly materialiter distingui, non contraponitur huic quod est spiritualiter, sed huic quod est specificè seu formaliter, ut bene hic advertit Cajetanus. Quæ ergo specificè distinguuntur, et sub aliquo ordine, vel totalitate producantur, de se exigunt ordinate produci, et unum ex alio, licet immutando exigentiam naturarum, et productionis ordinatæ, et loquendo de potentia absoluta bene possint plura a Deo produci sine ordinatione unius ab alio inter se; sed tamen connaturalis, et suavis rerum dispositio exigit istam ordinationem. Unde etiam dicitur Judith ix: *Tu fecisti priora, et illa post illa cogitasti, et hoc factum est quod iste voluisti: omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, et tua judicia in tua providentia constituisti.* Itaque paratura, et dispositio viarum Dei id connaturaliter petit, ut unum post aliud fiat, et ordinate inter se non plura sine ordine, et concatenatione ad invicem. Ratio autem congruentiæ non debuit procedere ex eo quod de absoluta potentia fieri potest in agentibus, sed de eo quod secundum exigentiam ordinationis connaturalis

fieri potest: nam ex hoc deducitur optime argumentum ad Deum, in quo omnia ordinatissima sunt, et in summa perfectione, quod etiam ibi processiones divinæ ordinato modo debent procedere, ita ut una connectatur alteri, et coordinetur illi, si quidem omnes illæ processionis sub eodem ordine divino continentur, et sub eodem toto, scilicet sub uno Deo, ad cuius perfectionem pertinent. Si ergo omnia quæ in hoc universo continentur ita procedunt, et operantur, quod unum ex alio deducitur, et derivatur, non omnia æque immediate procedunt ab uno, quanto magis processionis, quæ intra unum, et eundem Deum sunt, qui magis unus est, quam totum universum, ordinate procedunt, et una ex alia, non æque immediate ab uno, præsertim cum ipsæ processionis non solo numero, et quasi materialiter distinguantur, sed etiam formaliter, et quasi specificè.

XX. Sic ergo solvuntur instantiæ. Nam si Deus plures mundos produceret, non ordinatos inter se, non essent sub uno ordine contenti, et quasi unum corpus universi facientes, sed plura universa; et sic in ratione multiplicis universi quasi materialiter, et numerice multiplicarentur, id est, essent plures mundi numero; et sic non currit casus. Similiter si omnia immediate Deus faceret per seipsum, id quidem esset de potentia absoluta, sed non juxta exigentiam connaturalem rerum, quæ petunt unam causam subordinari alii, et infima ex mediis procedere, et per media summis conjungi. Si Deus produceret plures Gabrieleles, aut cum dantur plures intellectiones ejusdem Gabrielis, si istæ intellectiones, et illi Gabrieleles solo numero differunt, materiali distinctione differunt, licet spirituales sint, secundum quod ly materiale est

idem quod non specificè. Si vero non differunt solo numero; et sic est in sententia S. Thomæ non admittentis plures naturas individuales Gabrielis, aut alterius Angeli, tunc dicitur quod plures Angeli, imo et corpora cœlestia æque primo procedunt a Deo quoad creationem, sed non æque primo quoad subordinationem inter se, quatenus unus influit in alium, et subordinatur illi, et una causa est supra aliam, licet plures species rerum possint inter se non subordinari, sicut lapis ligno, vel equus homini, quia istæ species non procedunt immediate ab uno agente, sed equus ab equo, et homo ab homine: unde non mirum quod inter se non subordinentur; propositio autem D. Thomæ procedit in his quæ ab uno principio procedunt et inter se specie distinguuntur, et sic unum subordinatur alteri, vel in prima processione, si sit capax hujus, vel si non, quia utrumque est per creationem, saltem in influentia quam unum habet super aliud. In divinis autem non potest esse influentia unius Personæ erga aliam, nisi in ipsa sui egressione prima, et in relatione originis, quia non est ibi alia influentia, nisi qua una Persona procedit, et accipit totum quod potest accipere, scilicet essentiam infinitam.

SI SPIRITUS SANCTUS NON PROCEDERET A FILIO, NON DISTINGUERETUR AB ILLO.

XXI. Accedamus jam ad præcipuam rationem explicandam, qua ostenditur Spiritum sanctum procedere a Filio, quia alias non distingueretur ab illo. Unde elicitur est illa conditionalis, quæ in disputationem theologiam toties introducit, an si per impossibile Spiritus sanctus non procederet a Filio, ad-

huc distingueretur ab illo. Circa quam conditionalem aliqui dubitant, quo sensu accipienda sit, eo quod putant non posse illam hypotheseim admitti, nisi destruendo positionem Spiritus sancti qui nunc est, et alium ponendo, qui non haberet proprietates, quas modo habet, nec Filius eas quas habet, quia saltem non esset spirator, ut modo, seu fecundus ad spirandum, nec terminaret relationem Spiritus sancti ut modo; et similiter Spiritus sanctus non eadem processione procederet qua modo, nec eadem linea, ut ita dicam, quia procederet tunc a solo Patre, et ita non respiceret pro adæquato termino Patrem, et Filium sicut modo, et sic non esset amor mutuus, et amicabile, et nexus utriusque, sicut modo est: ergo non maneret idem numero Spiritus sanctus sicut nec esset idem homo numero, si procederet a solo patre, et non a patre et matre. Nec tunc Filius esset idem numero, qui modo propter variationem dictam. Et sic sentit Suarez lib. x de Trinitate, c. II, num. x, quod non maneret idem numero Filius, et Spiritus sanctus qui modo, data illa hypothesei, nec illa conditionalis potest procedere stante eadem filiatione, et spiratione passiva quæ modo.

XXII. Nihilominus dicendum est hoc dubium in duplici sensu posse controversi.

Primo, loquendo de Spiritu sancto secundum communem rationem Personæ divinæ, an quæcumque Persona divina, sive Spiritus sanctus sive Filius, sive ille qui modo est, sive alius qui tunc esset, an possit intelligi quod distinguatur a Persona, a qua non procedit, ita quod alia ratione, quam per processionis originem relationes in Deo possint opponi, et distingui: et sic an processio unius ab alio sit per locum intrinsecum, et formaliter

per se conditio requisita ut una Persona, quæcumque illa sit, intra Deum distinguatur ab alia, an vero alia ratione distingui possint, licet ista ratio processionis concomitetur. Hic est unus sensus, et meo videri præcipue intentus a sanctis, qui ea ratione contra Græcos usi sunt: intendunt enim probare, non quod solum destrueretur hic numero Spiritus sanctus si a Filio non procederet, sed quod absolute nulla tertia Persona maneret a Filio distincta, si ab eo non procederet, sicut Filius non esset distinctus a Patre, si ab eo non procederet.

Secundo, potest controversi ista difficultas loquendo de Spiritu sancto in singulari, et supponendo suas characteristicas proprietates, quatenus modo sunt individuales, et distinctivæ personaliter ejus a Filio, an sub hac ratione formali distinguendi, et individuandi exigant processionem a Filio, an vero remota processione, omnes illæ proprietates distinctivæ non essent, nec individuantes. Et tunc disputatio hæc solum procedit, et est utilis ad venandum rationem formalem constituendi, et distinguendi unam individuum Personam ab alia in Deo in ratione formali talis individui, non solum in genere, et ratione Personæ: licet in re, si de facto Spiritus sanctus non procederet, sicut modo non solum esset alius numero, sed neque Spiritus sanctus esset, neque Deus esset, quia in re, et essentialiter, seu in primo modo per se existit processionem a Filio, ut Spiritus sanctus sit. Et in hoc sensu procedunt rationes dubitandi, nempe quod si in re daretur Spiritus sanctus non procedens a Filio, cum tamen modo procedat, esset alius ab eo qui modo sic procedit. Sec hoc est supponere quod modo procedit a Filio. Nos autem inquirimus absolute de distinctione Personæ Spiritus sanc-

ti a Filio, et de formali ratione constituendi hoc individuum in sua singularitate talis Personæ, an videlicet in istis dependeat a processione a Filio, an sine illa possit intelligi, vel constitui distinctio Personæ, et singularitas talis Personæ cum suis proprietatibus.

XXIII. Est ergo in hac parte duplex celebris sententia.

Prima Scoti in 1, dist. XII, qu. II, ubi absolute censet, adhuc illa hypothesis data posse Spiritum sanctum seu tertiam Personam (quæcumque tunc esset) distingui realiter a Filio a quo non procederet, quia existimat ad distinctionem sufficere intrinsecam relationem, quæ secundum se est alia a quacumque alia relatione, etiam disparate se habente, et non secutionem originis, sicut filiatio ut filiatio, quæ solum respicit Patrem, per se tamen constituit Personam; et sic debet distingui a spiratione passiva, quæ aliam Personam constituit.

Oppositam sententiam tenet S. Thomas in hac quæstione xxxvi, art. II, quem communiter sequuntur ejus discipuli, Cajetanus hic; m. Bagnèz; Ferrariensis IV contra gentiles, cap. XXIV; Suarez lib. X de Trinitate, c. II; Vasquez, hic disp. CXLVIII, c. IV; Arrubal disp. CXXXI, c. II; Molina, Ripa, Nazarius, Zumel super istam quætionem xxxvi, art. II, et alii commentatores D. Thomæ quos referunt, et sequuntur patres Carmelitani in secundo tomo cursus theologici, tract. VI, disp. XIII, dub. III, n. LXXVI.

XXIV. Hæc sententia S. Thomæ indubitate tenenda est, quia hac ratione usi sunt sancti, et Concilia in discernendo isto puncto contra Græcos; et sic hujus rationis vis magna, et efficacissima putanda est, quia ad illam Ecclesia respexit ut in re tanti momenti duceretur ad

definitionem: licet enim definitio Ecclesiæ principaliter Scripturarum auctoritati, earumque explicationi, et traditioni per manus sanctorum patrum innixa sit, tamen quando ratione aliqua theologica utitur, eamque etiam adducit ut conducen-tem ad ipsam definitionem, sine dubio magni faciendæ est, quia ut magni momenti ab Ecclesia reputatur. Igitur hac ratione usus est Anselmus in libro suo de processione Spiritus sancti, c. II, et III, ubi pluralitatem, distinctionemque Personarum, qualis est distinctio Spiritus sancti a Filio reducit ad oppositionem relationis, quæ oppositio tollitur, si non datur origo unius ex alio. Dicit enim ibi Anselmus c. III: «Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia supradictis duobus modis Deus de Deo est, prohibet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum de invicem dici, et propria singulorum aliis attribui.» Ille autem libet Anselmi de processione Spiritus sancti continet eas rationes et probationes Anselmi, quibus in Concilio Barensi coram summo pontifice Urbano II, contra Græcos disputavit, eosque convicit, idque ad instantiam summi pontificis, indeque determinatum est contra Græcos in illo Concilio, cujus acta etsi perierint, tamen quæ ibi disputata sunt contra Græcos, in illo libro, Anselmus litteris mandavit. Quare rationes Anselmi, et præsertim ista, magni faciendæ sunt, utpote disputationes Concilii, quibus ad hanc determinationem motum est, cum assistentia ipsius summi pontificis, qui Concilium illud celebravit, licet generale non fuerit. Rursus in Concilio Florentino generali coram papa Eugenio IV, ubi res ista accuratissime per plures sessiones ventilata est in sessione XVIII, ubi specialiter de processione Spiritus sancti a Filio incæpit disputari, cum an-

tea prolixè de additione facta ad symbolum in illo verbo Filioque tractatum esset. In hac ergo sessione Joannes provincialis ex parte Latinorum contra Marcum episcopum Ephesium ex parte Græcorum disputans hac eadem ratione explicavit distinctionem Spiritus sancti a Filio fundari in processione ab illo, utens illo principio tamquam communiter recepto apud omnes doctores tam Latinos quam Græcos, quod sola relatio divina processione multiplicat Personas, per hæc verba: «Sola namque relatio, quam principalem habitudinem superius nominavimus apud omnes tam Græcos, quam Latinos doctores divina processione Personas multiplicat, cui etiam duo illa a quo, et ad quod, de quibus est supra dictum, conveniunt. Si quidem igitur relationes hujusmodi Personas multiplicat, ita ut nulla alia ratione, quam vi relationis Pater a Filio, ac una Persona ab alia differant, quem quidem modum, Spiritus etiam ab alio est, necesse est juxta omnes supradictos doctores, sic intelligere, ut idcirco Persona hæc, id est, Spiritus dicatur accipere atque esse, quod ab alio est.» In qua doctrina sic a Joanne provinciali exposita nullus Græcorum, nec etiam ipse Marcus Ephesiorum episcopus, qui acerrimus inter Græcos disputator habebatur, ullo modo contradixit. In ea autem clarissime constat quod tamquam principium pro disputatione Concilii habitum est, tum quod relatio divina processione multiplicat Personas, atque adeo cessante processione, cessat multiplicatio; tum quod vi relationis tantum dicuntur Personæ differre, et in hunc modum dicitur Spiritus sanctus esse ab alio: ergo pro eodem sumebatur a patribus Concilii esse ab alio, et vi relationis differre: ergo ab eo

non differt vi relationis Spiritus sanctus a quo non est.

XXV. Scio Concilium nec in ea sessione, nec aliis sequentibus quidquam definiisse usque ad ultimam in litteris unionis ab Eugenio IV, sed solum disputasse de hoc dogmate. Sed tamen vis nostræ rationis non fit in eo quod ibi definita sit ratio S. Thomæ, sed quod ea potissimum utebatur Concilium in suis disputationibus, et tamquam rem communiter acceptatam a doctoribus Græcis, et Latinis proponebat, nec in hoc aliquo modo ei contradictum fuit a Græcis, aut ab aliquo. Constat autem quod si hæc ratio solum pertineret ad opinativum discursum, non tanta vis in ea fieret in Concilio, nec ita admitteretur in ejus disputationibus, ut irrefragabiliter acceptatum principium apud Græcos, et Latinos, quod relatio sola processione multiplicat Personas.

Non nihil etiam juvari potest pondus hujus rationis ex eo quod habetur in Concilio Toletano II celebrato æra 713, id est, anno Domini 675, sub Vamba principe. In confessione enim fidei in qua late explicat totum hoc SS. Trinitatis mysterium, sic inter alia dicitur: «In relatione Personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt, et in hoc numero carent, quod ad se sunt.» Ubi pondero, quod cum prius dixisset Concilium quod in relatione Personarum numerus cernitur, subdit quod hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt quasi significans, non quoquo modo relationem sufficere ad multiplicandum numerum, sed relationes quæ ad invicem sunt. Sunt autem ad invicem solum relationes oppositæ: op-